JUSTINA COMIT. PIOVENE

PORTO GODI PIGAFETTA

VICETINA

AUSPICATO NUBENTE

DOMINICO MARCH. MELI LUPI

S O R A G N A

PARMENSI

P A T A V I I

T Y P I S S E M I N A R I I

MDCCCXXXV

INCLYTAE SPONSAE

GRATULABUNDUS

P. L.

In tanta hujusce diei pompa, in tanta tui animi laetitia, in tantis civium omnium gratulationibus turpe sane esset me unum in silentio contineri, qui tot tamque magnis beneficiis a Domo tua, nobilissima illa quidem ac munificentissima, affectus sum. Poeticis itaque numeris operam dedi, et Elegidion, qualecumque demum sit, Tibi dicandum curavi. Nec ideo improbatum iri puto, quod latinis potius, quam italis Musis vacaverim. Nam Tu, praeter alias linguas, latinam quoque calles, rarum profecto in nostratibus praesertim puellis decus.

Cujus rei cum ego testis saepe fui, tum fidem faciunt pulchriora Horatii carmina et de arte poetica liber, quae Tu privatim itala veste donasti. Hoc igitur mei obsequii et laetitiae pignus benevole excipias, quod tuo etiam Patri, Patruisque amantissimis sistas velim, tanquam debitum meae observantiae, gratique animi testimonium. Vale.

ELEGIA

Bergaei colles, et amoeni rura Loneti (*)
  Nunc vestrum properat longius ire decus.
Jam properat sidus patrii ter amabile caeli
  Externum late praeradiare solum.
Auditis quanto laetatur Parma triumpho?
  Quale renidenti nomen in urbe sonat?
Scilicet egregiis Virgo mage cara puellis
  Ducitur insubri jam nova nupta Viro.
Felix Conjugium! Virtus utrinque coruscat,
  Inque opibus clarum nobilitate genus.
Undique multisono sublimes carmine vates
  Certant tam laetam concelebrare diem.
Parsque canunt proavûm titulos, censusque paternos,
  Speque novae Sponsos exhilarant sobolis.
Pars utriusque fidem, parilesque in pectore flammas,
  Quaeque nitet pulchris gratia rara genis.
Me quoque Musa jubet plectrum tentare latinum
  Expertum largae munera saepe domus.

Me mores, Justina, tui, pietasque, pudorque,
Ardentisque movet simplicitas animae.
Me varius cultus, mentisque uberrima merces,
Et vis insoliti grandior ingenii.
Namque places, seu pingis acu dexterrima telas,
Et vivis similes inseris effigies.
Usque places, seu blanda sonant modulamina vocis,
Seu manus harmonicum fervida pulsat ebur.
Quid junctas referam studiis gravioribus artes,
Et bona socraticis purius hausta libris?
Te Tiberis sermone suo, Rhodanusque loquentem
Obstupuit: per Te dulcior Arnus iit.
Me mihi Diva rapis quoties in carmina surgis
Nunc grave, nunc tenerum fundere docta melos.
Non egomet mendax: italo nam Flaccus amictu
Fertilis ostentat nobile mentis opus.
At nunc qualis eris tanto conjuncta marito!
Parmensi geminum quam micet urbe jubar!
I felix igitur: Caelum tua vota secundat,
Atque comes fausta cum face gaudet amor.
Nec Te delicias sedis liquisse paternae,
Aut urbis pigeat moenia culta tuae;
Nec Patris amplexus, nec Fratrum aut cura Sororis,
Neve piis Patrui detineant lacrimis.
Te cives alii, magnis urbs altera factis
Excipiet, doctis et celebrata viris.

Te dudum praeeunte manet domus altera fama,
  Largiter omnigenis quae fluit usque bonis.
I felix, teque insubribus feliciter astris
  Insere Parmanas luce beante nurus.
Jam tempus cupidi compleri gaudia Sponsi,
  Libarique tui munera connubii.
Haud fallor. Referens illustres ore parentes
  In vestra citius vagiet aede puer.
Vagiet aede puer, quem concitet aemula virtus
  Laude nova patrium perpetuare decus.
Tunc ego odoratis spargam cunabula sertis,
  Devotosque iterum det mea Musa sonos.

(*) Innuimus villam in Luco Vicetino sitam, domui Ploveniae valde gratam, utpote quae prae ceteris amoenissima est, et praecipuum rusticationis delicium.

444